

A. Dic, antique Senex, Venetæ quis conditor Vrbis?  
 S. Iuppiter: A. Vnde Arces? S. Attica: A. Scorta? S. Venus:  
 A. Mænia? S. Neptunus: A. Nummi? S. Dido:  
 A. Bellona? S. Mavors: (dedit.  
 A. Artes? S. Mercurius: A. Iura? S. Minerva  
 Non mirum est, si alias inter caput extulit urbes;  
 Cum tot cœlestes composuerem Dea.

*Episcopatus.* Datus urbi primus Episcopus, Obealtus Maximus, anno 774, cui deinde alii successerunt, usque ad annum 1450, quo Episcopatus ab Eugenio IV P. M. in Patriarchalem dignitatem est conversus. Primas enim Dalmatiæ vocatur, alios habens suffraganeos Præfules. Catalogus Episcorum & Patriarcharum est apud Leandrum; & visitur in palatio ipsius Patriarchæ. Insignes, clarosque eruditione viros idem Leander recenset. Civium frequentia Venetiis plane stupenda. Numerus trecentorum circiter milium censetur. Triplices illi sunt generis: *Patritii*, quos penes imperii & Reipublicæ administratio; *Cives*, qui Scribarum & aliorum honorum munera gerunt; *Artifices*, qui mechanicas exercent artes. Præter hos, *Mercatores* ibi innumeri & advenæ, qui vario cultu ex omnibus mundi partibus negotiationis gratia confluere soliti: *Turcæ*, *Æthiopes*, *Slavi*, *Arabes*, *Syri*, *Cretenses*, *Cypri*, *Macedones*, *Germani*, *Vngari*, *Hispani*, *Galli*, alii. Familiae nobiles hic tot sunt, ut vix recenseri queant. De operibus hujus civitatis judicare quis potest, quod ex solo veetigali annuatim vices centena milia ducatorum capiat; ejusque Duci, ut maiore fulgeat pompa, singulis annis xxxv millia aureorum numerentur, quos in apparatus regios & magnificentiam expendat. Cœpit rerum, quas summa laude felicitateque gesserunt Veneti, gloria ab iis, qui mare infestum habebant; quibus classe sære superatis & in potestatem redactis, insulas cœperunt & nationes externas subigere. Crescente imperandi cupiditate, observatis diligenter vicinorum, vel dissidentium inter se, vel ab suis Principibus oppressorum occasionibus, in finitimam itum est continentem; ubi lapsu temporis mirum in modum fines ipsorum sunt propagati. Nervosè Paullus Iovius: Paruere eis ab initio, inquit, quo tempore classibus maxime valebant, Iltri, Liburni, Dalmatae, atque Illyrici ora: multæ item nobiles Græciæ urbes, cum Eubœa, Cretaque insulis. Mox transgressis in proximam continentem, Patavium, Verona, Tarvisium, atque Vicentia, quæ ab infirmissimis regulis tenebantur, accesserunt. His quoque Ravenna addita est, regia quomdam Gothorum, atque alterum totius Italiam navale pulcherrimum. Quo rerum successu evesti, & terribibus aucti copiis non multo post Philippo Vicecomiti pluribus bellis defatigato, Brixiam & Bergomum ademere. Cessit & eis Crema,

*Italia.*

Francisco Sforzia concedente. exinde Venetorum potentia cunctis in Italia maximo terrori esse cœpit, & quæ sequuntur. Quæ omnia, pluraque, quæ addi possent, adeo sunt vera, ut Venetiarum urbs hodie omnium urbium clarissima censeatur & florentissima, mundi theatrum, commune totius orbis emporium, vietrix dominatrixq; tot tantorumque hostium, Hadriatici regina maris, Italici nominis gloria decusque. Quamvis multa bella gesserit, variisque fortunam mille annorum spatio sit experita, in externi tamen hostis potestatem numquam devenit. Divini plane sunt versus Actii Synceri Sannazarii:

*Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis  
 Stare Vrbem, & toto ponere jura mari:  
 Nunc mihi Tarpejas quantumvis Iupiter arces  
 Objice, & illa tui mœnia Martis, ait:  
 Si Pelago Tibrim præfers, urbem affice utramque:  
 Illam homines dices, hanc posuisse Deos.*

De Hexastico illo epigrammate refert in Sannazarii Vita Ioannes Baptista Crispus, auditum à se ex Aldo Manutio Paulli F. Poëtam ab S. P. Q. Veneto pro singulis versibus singulos centenos aureos, honoris gratia, dono accepisse. Idem de Venetorum signis sic scripsit:

*Romanas aquilas postquam liquere cohortes,  
 Magnanimus turmas ducit in arma leo.*

Sunt circum Venetias insulæ modicæ per multæ, cum ædificiis, templis, cœnobiis, aliisque domibus pietati dicatis. Primum ad Austrum insula mille passuum longitudine, splendidis ædificiis & cultissimis hortis, itemque cœnobii monachorum ac virginum plebanicisque fanis aliquot nitens, ab urbe fere quingenos passus lato euripo submovetur, aditurque cymbis, trajectus causa semper hic confidentibus. *Iudaicam* nunc vocant; alioque nomine Dorsum Durum appellavere. Non procul inde in stagnis D. Angeli Concordiensis Virginum sequitur: ultraque ad occasum versus D. Georgii Algani conventus: dein eadem parte versus occidentem, si Venetiis consistas, D. Claræ domus, quæ ponte urbi Venetæ adhæret. Eodem in latere D. Secundi cœnobium est; nec procul à continente D. Iuliani fanum. Deinde septentrionali urbis latere D. Christophori ædes in euripo, quo Murianum ab urbe navigatur, occurrit, moxque D. Michaëlis cum cœnobio, postremum ipsum Murianum, quod Altinates & Opiterginos Hunnicis temporibus anno 450 post Christi nativitatem incolere cœpisse Sabellicus perhibet, Attila jam tum ad Venetias appropinquante. Distat ab urbe mille passus, estque perjundus & amœnus locus, situ quidem ædificiorumque descriptione Venetiis par, at amœnitate longe præcellens, quippe quia singulæ pene domus hortos ornatiissimos & variis arboribus fructiferis confertos habent. Tempa colit haud ignobilia 14, no-

*N n 2 minatim*

*Insula cir-  
cum Vene-  
tias.*

*Incole.*

*Opes & re-  
ditus.*

*Res ges-  
tae.*